



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

Feria V. Petitiones pro gratiis gratis datis à Spiritu S. obtinendis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

*Petitiones pro gratis gratis datis à
Spiritu S. obtinendis.*

O Divine Spiritus ! ubi prædictis Virtutibus tam excelsis me alióque instruxeris , & contra omnem vanitatis assultum præmuniveris , sequentes favores audebo confidenter petere , nixus Christi meritis , & liberalitate tuâ immensâ fretus.

I. Veni sancte Spiritus , & cum Patre & Filio , sub speciebus Eucharisticis me visitante , largâ manu dona tua impertra. Da mihi aliisque innumeris servis tuis in primis *Sermonem Sapientia* , quo ornati sublimia & occulta divina mysteria alios rectè doceamus & explicemus.

II. Deinde ô sancte Spiritus ! largire quoque nobis *Sermonem Scientia* , quo magnalia Dei , ex ipsis creaturis tanquam manuum ejus operibus deducta hominibus aptè persuadeamus.

III. Tribue nobis quoque ô Beate Spiritus *Gratiam fidei* , quâ ordinarios fidei articulos & veritates mortalibus ritè persuadeamus.

IV. Præsta quoque (si ad gloriam tuam aliorumque salutem expediat) famulis tuis virtute excellentibus *Gratiam sanitatum* , quâ infirmos sanitati restituant : atque ita plurimos convertant & in fide confirment.

V. Concede etiam (si ad gloriam conducat) *operationem Virtutum* iisdem fidelibus servis tuis , ut ea per hos velut instrumenta , prodigia patres quæ mundum faciunt omnipotentiam tuam obstupescere , & infinitam majestatem tuam deprædicare.

VI. Infunde præterea nonnullis , si redundet in gloriam tuam *Gratiam Prophetia* , quâ futura in bonum alienæ salutis certissimè revelent.

VII. Mitte quàm plurimos viros Apostolicos ad varias gentes hæreticas , barbaras & infidelitatis tenebris oppressas , eosdemque dono & *Gratiâ linguarum* instrue , ut ab omnibus , de negotio Salutis agentes intelligi valeant : O si illis annumerari mererer.

VIII. Ad hæc segrega viros alios insignes , iisdemque *gratiam discretionis spirituum*

rituum elargire, ut pro salute proximi,
arcana, quæ in corde ejus geruntur ape-
riant.

IX. Prædictis denique, O Spiritus
Sancte! adjungere dignare *Donum inter-
pretationis Sermonum*, quo res obscuras
variis modis à te revelatas declarent, ad
maiores agnitionem, laudem & amorem
sanctissimæ Trinitatis. Amen.

*Oratio ad Christum Dominum
Pro impetrando ejus Spiritu.*

O Saluator mi! quemadmodum Elias
in Paradisum raptus, pallium & sis-
mul cum eo ferventem spiritum suum du-
plicem Elisæo reliquit; ita tu in cælum
ascendens pro hæreditate, Ecclesiæ tuæ &
cuiusvis ejus justo pretiosissimam carnis tuæ
vestem in Sacramento altaris reliquisti, ut
ejus sumptione, unumquemque alterum
quasi Christum efficias per similitudinem.
Obsecro te, ut fiat in me spiritus tuus du-
plex: spiritus scilicet amoris Dei & amo-
ris proximi: spiritus exercendi opera vitæ
activæ & opera vitæ contemplativæ:
spiritus mortificationis & orationis: spi-
ritus

ritus faciendi & docendi : denique spiritus gratiarum & virtutum in proprium meum commodum , & gratiarum gratis datarum , in commodum aliorum : ita ut per efficacissimam factæ hujus communionis virtutem fiat discipulus sicut est Magister ejus ; eaque faciat opera admiranda, quæ ille fecit , ad solam & majorem Magistri sui honorem & gloriam. Amen.

FERIA VI.

Petitio Charitatis ad Patrem cœlestem.

I.

O Pater æterne ! Quid juvat , si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam ? nunquid ero velut æsonans aut cymbalum tinniens, cujus sonus, non vivus, sed mortuus, alios excitat ad faciendum quod sonus indicat ; ipsum verò loco non movetur ? Quare gratiam tuam copiosam mihi infunde ; ut emuler charismata meliora , & adhuc excellentiorem viam , quam demonstrat Apostolus , ingrediar , viam scilicet divinæ charitatis, quæ omnium virtutum & gratiarum vita & anima est. O Sacramentum amoris ! confer mihi hodie te sumentibus hanc